



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 138. Metrophanes Cyzicenus in Patriarcham Constantinopolitanum electus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A. C. 1440.

§. CXXXVIII.

Metrophanes Cyzicenus in Patriarcham Constantinopolitanum electus.

Imperator his turbis, quæ jam plures
Menses tenebant, finem allaturus, in locum Josephi Florentiæ fatis erepti Patriarcham subrogare moliebatur, cuius auctoritas (ut sperabat) in Imperio suo recipiendis Synodi Decretis planiorem viam sterneret. Virum quippe eligere oportebat non minus Religionis studio flagrantem, quam animi robore invictum, & constantia Imperatori satis comprobata insignem. Ergo hac super re collato cum Præsulibus consilio prima omnium vota in Heracleensem Metropolitanam collimabant. Verum cum hic palam profiteretur, poenitentia se duci, quod Decretum consensu suo, ac propria manu munisset, ceteri Episcopi, qui eidem pariter subscripserant, eum pro vacante Patriarchali Sede nominare renuebant. Hinc alios tres proposuere Metropolitanas, scilicet Trapezuntinum, Cyzicenum & Genadium, qui cognomento Scholarius in Synodo orationem habebat eloquentiæ laude ac rationum pondere longe præclarissimam. Horum itaque nomina offerebantur Imperatori, qui cum Trapezuntini fidem,

fidem, ac unionis studium explorari jubere-
 ret, eundemque potius concordiae adver-
 santem reperisset, suffragantium animos
 in Metrophanem inclinavit, qui ordine
 sextus Florentinae Synodo subscripsit, ac
 unionem lingua, & calamo tueri polli-
 citus est. Hic ergo, postquam die deci-
 ma quarta Mensis Augusti pridie ad Fe-
 stum Beatæ Virginis Mariæ in cælum af-
 sumptæ in Patriarchalis Cathedræ pos-
 sessionem inducebatur, Imperatoris aucto-
 ritate suffultus nihil intentatum reliquit,
 ut pro avita sua pietate Græcos non mo-
 do in ipsa Constantinopolitana civitate,
 sed & in universa Græcia ad obedientiam
 Ecclesiæ reduceret. Præterea studio Re-
 ligionis accensus, ipse terras quoque suo
 Patriarchatui non subditas peragrabat,
 Episcopis aliisque Clericis rebellibus loco
 motis Orthodoxos sufficiebat, & Schisma-
 ticorum nonnullos suis omnino Episcopa-
 tibus exuebat.

§. CXXXIX.

*Cardinalis Venetus in Græciam ab Eu-
 genio Papa ablegatus.*

Nec Eugenius Papa suis partibus hac
 in re deesse voluit, sed Franciscum
 Condulmerium Nepotem suum, alias Car-
 dinalem Venetum, Constantinopolim Le-
 gatum decrevit, comitantibus eum plu-
 ribus

Pp 5

ribus